

PANORMITANA

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servi Dei Iosephi Puglisi, Sacerdotis dioecesanii († 1993)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Non omnis, qui dicit mihi: “Domine, Domine”, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est» (*Matth 7, 21*).

Opus in mundo, actuositas pastoralis ac praesertim caedes Servi Dei Iosephi Puglisi discordiam inter habitum fictae devotionis et gravitatem intimae vividaeque participationis fidei summopere exhibent et perstringunt.

Servus Dei die 15 mensis Septembris anno 1937 Panormi in Sicilia natus est intra fines insulae tantae urbis, cui nomen v. d. *Brancaccio*. Anno 1953 Seminarium ingressus est et, cursu studiorum perfecto, die 2 mensis Iulii anno 1960 presbyteratu auctus. Multis praecipuisque apud paroecias et dioecesim oneribus sive in eadem sicula regione sive in Italica patria triginta annos navam dedit operam: anno 1961, creatus est vicarius cooperatore paroeciae Sanctissimi Salvatoris in insula panormitana v. d. *Settecannoli* et rector ecclesiae Sancti Ioannis Leprosorum, necnon, anno 1967, cappellanus Instituti «Roosevelt» pro orphanis et cooperatore vicarius paroeciae Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae in vico *Valdesi*; inter annos 1970 et 1978 parochus fuit ecclesiae Beatae Mariae Virginis Immaculatae in civitate *Godrano*; vice praeterea functus est rectoris Seminarii Archiepiscopalis Minoris atque officia moderatoris Circuli pro Vocationibus primum dioecesanii, dein Regionalis, atque membri Consilii Presbyteralis exercuit. Multas suscitavit consociationes laicorum, uti «Praesentiam Evangelii» illam, Actionem Catholicam, Foederationem Alumnorum Universitatum Studiorum Catholicorum Italicorum, Coetum «Domina Nostra» intra moenia Domus Beatae Mariae Virginis ab Acceptione et puellis quoque mulieribusque lapsis seu laboratis admodum cavit. Apud scholas religionem docuit et Circuli Nationalis pro Vocationibus fuit consultor, necnon Seminarii Maioris Panormitani moderator spiritualis.

Die 29 mensis Septembris anno 1990, electus est parochus Sancti Caietani et Beatae Mariae Virginis a Divino Amore intra fines insulae suae natalis, ubi, praeter commune opus pastorale, missiones instituit ad populum, necnon institutionum theologiae, rudimentorum scripturae exercitationisque ad

voluntarium servitium pro bono proximi lectiones. Una cum Sororibus Pauperum a Sancta Catharina Senensi Circulum «Pater Noster» fulsit, mense Ianuarii anno 1993 inauguratum, pro sociali christianaque institutione puerorum iuvenumque fere derelictorum provehenda, qui iamdiu facilissima criminum flagitiosaeque malae vitae plebis praemia et scelesta facti erant mancipia. Coram loci plurimis atque inveteratis societatis, mentis et protinus condicionum sanitatis defectibus, scholam secundariam inferiorem, necnon parvum medicabulum et bibliothecam aperiendi Servus Dei auctoritatibus civilibus subiecit necessitatem.

Si vitae eius conspicitur summam, presbyteralis admodum eminent animus, quem ipse tamquam ministerium erga Deum hominesque et officium ad Verbum dominicum, Magisterium Pontificum et Pastorum Ecclesiae Consilia fideliter instructum intellexit. Actuosa vita spiritualis vera vis operationis fuit eius et spei omnis fons saliens. Apostolatus, quem Servus Dei pro sociali christianoque populi Dei propectu gessit, ardenti caritate pastoralis suffultus videtur et, cum intimius ipse instituta ac rationes adfecisset hominum, quorum valuit intellectum rerum reformare, opera eius signum et consecutio fidei exstiterunt. Omnia experiri, ut scelera contemnerentur eruerenturque improborum criminalium conspirationum, quae italica voce «*mafia*» nuncupantur, inter proposita ei fuit constanti cura contingenda: per informationem animi praeceptis virtutibusque evangelicis accommodatam ac divino Verbo, plenae conversionis vitae fonti, sustentatam animos et corda paroecianorum omnium excudere quaesivit, praesertim eorum qui a pietatis muneribus aberravissent. Abhinc laudatum indefessumque studium obices omnes populi ei commissi propectui expediendi per catechesim largiter ac copiose traditam, per exemplum vitae orationis, benignam per amministrationem sacramentorum, necnon sedulam Verbi Dei revocationem, quod ipse non modo ex pulpito protestabatur, sed, tamquam verus missionarius praeco, ubicumque efflagitaretur. Proinde, Servus Dei substantialiter presbyter tantummodo fuit, cuius persollicite pro regno Dei aedificando atque improborum paenitentia conversioneque eniti praecipuum erat ministerium: quam ob rem, nullomodo eum decet formula «inimici plebis conspiratorum» nuncupari.

Iuge hoc eius Evangelii praeconium praeter oculos civium nequebat improborum malae vitae opera sane curare fallenda, qui, dum Christi sese habebant et proclamabant fideles, ad mentem fidei moribusque Christi omnino contrariam ita agebant, ut quoscumque perimerent, qui eorum consiliis

obire auderent, quod modus est operandi ab evangelicis praeceptis prorsus disiunctus et in odium fidei manifeste gerens. Apud summa, igitur, improborum conspiratorum plebis illius capita pervicax quoddam Servi Dei fastidium informatum est, in dies metu, minis et vulneribus elatum, quod propere in sententiam capitis et necem transiit. Nihilominus, Servus Dei sibi conscius bonum pastorem dare vitam pro grege, licet deterritus, operam Evangelii nuntiandi societatisque provehendae perseveravit, quamquam discrimen mortis plane percipiebat instans. Grassante metu, viam tamen pariloquii ac verecundiae selegit, ne fideles quoquo modo implicaret.

Ad vesperam diei 15 mensis Septembris anno 1993, quinquagesimi ac sexti eius natalis, dum domum redibat, viri duo armati, factionis cuiusdam improborum pretio conducti, eum opperiebantur, quorum alter cervici manuballistulam subiecit. At Servus Dei carnifici suo adridens effatus est illud: « Exspectabam », quod, in limine mortis effusum, liberam suam et consciam acceptionem caedis, propositum summae suipsius oblationis Domino et Ecclesiae usque ad supremum sacrificium atque sollicitudinem gratiae asseverat. Homicidium illud vere actum contra fidem fuit, cum consilium Iosephum presbyterum perimendi Spiritui revera adversaretur, qui ad peculiare genus illud actuositatis pastoralis eum excitabat.

Ob martyrii Servi Dei famam, quae apud communitatem ecclesiam christifidelium admodum crebruit, apud Curiam Archiepiscopalem Panormitanam, a die 15 mensis Septembris anno 1999 ad diem 6 mensis Maii anno 2001, Processus beatificationis initus est per celebrationem Inquisitionis dioecesanæ, cuius auctoritas et vis iuridica ab hac Congregatione de Causis Sanctorum Decreto diei 16 mensis Ianuarii anno 2004 probatae sunt. *Positione* confecta, iuxta suetum morem, die 2 mensis Maii anno 2006, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est, quem supplemento inquisitionis efflagitato, alius secutus est, die 10 mensis Octobris anno 2006 habitus, in quo prospero cum exitu disceptatum est an Servi Dei mors verum martyrium fuisse. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die 12 mensis Decembris anno 2006 habita, primum convenerunt ac dein, die 5 mensis Iunii anno 2012, in altera Sessione, cui egomet ipse, Angelus Cardinalis Amato praefui, et, audita relatione Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Ioannis Pauli Benotto, Archiepiscopi Pisani, Causae Ponentis, agnoverunt Servum Dei Iosephum Puglisi ob fidelitatem erga Christum et Ecclesiam confessam verum in odium fidei martyrium passum esse.

De hisce omnibus rebus, referente infrascripto Cardinale Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servi Dei Iosephi Puglisi, Sacerdotis dioecesani, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 28 mensis Iunii a. D. 2012.

ANGELUS Card. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CIVITATIS REGALENSIS

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servorum Dei Hermenegildi ab Assumptione et V Sociorum, ex Ordine Sanctissimae Trinitatis († 1936)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Martyrium donum est adeo super eminens et magnum, ut nemo adipisci possit ex humanis meritis antecedentibus, cum sit omnino virtus, sanctitas et donum perseverantiae, quod dedit manus Dei» (S. Iohannes Baptista a Conceptione, O.S.S.T., *Opera* III, 1131).

Hac enim sententia, e quadam sua martyrii sumpta laudatione, Beatus ille Reformator Ordinis Sanctissimae Trinitatis significare voluit sanctitatem, sicuti in martyrio clare ostenditur, donum Dei semper esse, quod iustus fidenti gratoque animo accipiat; eapropter nec angustias nec amaritudines timendas esse, cum quisque pro explorato habeat sese in sua vocatione, tamquam in itinere, progredientem divina gratia sustineri.